



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 95. Lutheranæ Sectæ exercitium plebæis in austria permissum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

exitu sermo in Historiæ progressu Sæc. XVII.  
redibit. A. C. 1610.

§. XCV.

*Lutheranæ Sæctæ exercitium plebæis  
in Austria permissum.*

Paulopost Protestantium per Austriam *Carafa*  
legati a Matthia Hungariæ Rege im- *Comm. de*  
portune postulabant, ut liberum sectæ *Germ. Sacr.*  
suæ exercitium olim sub Maximiliano II. *Merc. t. 6.*  
certis conditionibus *duntaxat* Proceribus *p. 531. l. 3.*  
indultum, quarto etiam seu plebeio  
Statui concederet: id cum negatum fuisset, operam & auxilia Hungarorum & Moravorum, aliarumque Provinciarum implorarunt, quibus tamen Matthias die vigesima prima Februarii Scriptotenus per Georgium Tursonem Hungariæ Palatinum hæc respondit: „Volo, „ut civitates & Vici omnes quatuor istis „Statibus adnumerentur, & pro plebeio statu habeantur, præcipio autem, „ut Catholici ab Augustanæ Confessione „addictis, & vicissim hi ab illis in Religionis suæ exercitio nullatenus turbentur, sed pax & concordia utrinque „colatur.„ His die secunda Martii a Rege firmatis, ac palam Viennæ prælectis, Ordines se ad authoritatis Regiæ conservationem, pacisque & Salutis

Sæc. XVII. luti publicæ propagationem omne stu-  
 A. C. 1610. dium impensuros testati sunt.

## §. XCVI.

*Insidiæ in Gabrielis Bathorii vitam  
structæ.*

*Merc. l. c.  
 Han. Hist.  
 Hung. Scri-  
 pta Soc.  
 Germ. de  
 variis reb.  
 pag. 310.*

**I**n eunte Mense Aprili nonnulli Nobiles  
 in Transylvania adversus Gabrielem  
 Bathorium hujus Regionis Principem  
 conspirabant, tempestive autem detecto  
 eorum consilio Princeps, cum ex præ-  
 sentiſſimo vitæ periculo sese expediſſet,  
 præcipuos seditionis Authores partim  
 extremo supplicio, partim perpetuo  
 exilio ac honorum proscriptione mul-  
 ctabat, moxque datis ad Tursonem  
 Hungariæ Palatinum literis, cum eo-  
 rum quosdam in Hungariam aufſugisse  
 nosset, eos comprehendi jusserat, ne  
 quid exitiale ibidem etiam occulto Je-  
 suitarum instinctu, & manifesto erga  
 Religionem odio molirentur: Hæc per-  
 scripserat Bathorius, qui certe, quod  
 a Jesuitis jam Transylvania ante bien-  
 nium pulsus timeret, non habebat, sed  
 potius omnis in se aversionis fomitem  
 propria sua crudelitate, & effræni libi-  
 dine ipſus accenderat. Quam vero ob-  
 cauſſam Societatis Patres ex Transyl-  
 vania pulſi fuiſſent, Claudius Aquaviva  
 ſupremus præfatæ Societatis Modera-  
 tor